

sancitum habetur in jure, ut testamento tanquam principali propter exheredationem, vel præteritionem filii nullo declarato, accessoria tamen in illo subsistant legata, et alia. Auth. *Ex causa. C. de Liber. præterit.* ibi: « Ex causa exheredationis, vel præteritionis irritum est testamentum quantum ad institutiones: cætera namque firma manent. »

16. *Fidejussor pupilli obligatur, etsi pupillus non sit obligatus.* — Sic pariter licet alias obligatio fidejussoria sit accessoria, et sublata principali obligatione tollatur per dicta n. 9, tamen ex speciali juris dispositione habetur, quod, etsi pupillus sine auctoritate tutoris contrahens, nec civilem, nec naturalem obligationem servandi contractum habeat, l. *Pupillus. 59, ff. de Oblig. et act.* tamen si in tali casu tertius pro pupillo fidejubeat, fidejussio teneat, et obligatoria existat. l. *Si pupillus. 35, ff. de Arbitr.* cum concord. Quod etiam ideo recte sancitum videtur, quia in tali casu fidejussio censetur inducere obligationem principalem, hoc ipso, quod alia principalis desit; cum pupillus aliquam obligationem, quæ alias principalis foret, neutquam contrahat.

17. *Accessorium sequitur naturam principalis, etsi illud pretiosius sit isto.* — Cæterum quamvis Vivianus hic teneat regulam fallere etiam in casu, quo accessorium nobilius quid et pretiosius est ipso principali; tamen quia hæc doctrina non tantum communis doctorum sed etiam claræ juris dispositioni contraria apparet, ei minime adhaerendum, sed dicendum est regulam procedere etiam tunc, quando accessorium melius quid, nobilius, ac pretiosius est principali. l. *Cum aurum. 19, § 13, ff. de Auro et argent. legat.* ibi: « Perveniamus et ad gemmas inclusas auro, argenteoque. Et ait Sabinus auro argenteoque cedere; ei enim cedit, cujus major est species: quod recte expressum; semper enim cum quærimus quid cui cedat, illud spectamus quid cujus rei ornandæ causa adhibetur, ut accessio cedat principali. Cedent igitur gemmæ phialis et lancibus inclusæ auro argenteove. » Ex quo resolves, quod annulus habens inclusam gemmam longe majoris pretii, quam sit ipse annulus, vel vestis habens ornamenta aurea vel argentea pretium vestis longe superantia, si vendatur, donetur, legetur etiam gemma, et ornamenta, quantumvis majoris pretii, vendita, donata vel legata censeantur.

18. *Nisi sit summe arduum, de quo non co-*

gitasse disponentem præsumitur. — Limitat tamen non immerito hanc doctrinam et fallere regulam ait Barb. hic. n. 10, si accessorium est summe arduum quid, ut de tali verisimiliter non cogitaverit concedens, donans, legans, disponens, etc.

REGULA XLIII.

QUI TACET CONSENTIRE VIDETUR.

1. *Regula unde desumpta?* — Hæc regula desumitur ex l. 2, § *Voluntatem. ff. Solutio matrimonii.* et aliis LL. a Glossa citatis hic.

2. *Ratio difficultatis in regula.* — Quæritur I. Quomodo intelligenda hæc regula, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Quamvis secundum sensum grammaticalem facilis appareat hæc regula, in sensu tamen juridico eam explicatu esse difficillimam, fere omnes fateantur; eo quod in jure plurima extent exempla, ex quibus clare patet, eos etiam, qui scienter tacent, non censi consentire. Hinc in ea declaranda mire desudant doctores.

3. *Opinio, quod tacens in favorabilibus, non item in odiosis consentire censeatur, non approbatur.* — Barbosa hic. n. 9, allegat ingentem doctorum classicorum numerum dicentium: Regulam cum subsequenti distinctione esse intelligendam, « qui tacet, in favorabilibus consentire videtur: qui vero in præjudicialibus vel odiosis tacet, consentire non videtur; » quam doctrinam licet magis communem, immo vulgarem esse vere asserat, et pro illa etiam Glossam variis in locis citet: tamen eam non approbat, sed improbat ex illo vero fundamento; quia in jure valde multa reperire est exempla, vi quorum tacens etiam in præjudicialibus pro vere consentiente habetur. Nos sedulo perlectis, et bene consideratis tam doctorum rationibus, quam juris exemplis, arbitramur, securiorem et faciliorem regulæ explicationem, seu declarationem esse sequentem.

4. *Ponitur verus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus et genuinus regulæ sensus videtur iste: « Qui tacet, in favorabilibus consentire videtur: qui vero in præjudicialibus tacet, tunc consentire videtur, quando contradicendo, vel expresse dissentiendo facile potest impedire id, de quo agitur, et in contrarium nulla conjectura apparet. » Prima pars hujus sensus, videlicet quod tacens in favorabilibus consentire videatur, pene omni controversia

caret; cum fere omnes doctores consentiant; quia in dubio ordinarie merito præsumuntur ea, ad quæ nos naturalis ducit affectio et propensio, arg. c. 2, de *Præscript.*, et l. *Isti. 8, § fin., ff. Quod metus caus. gest.* Hinc bene observat hic Strein. n. 3, nullum tam hebetem censi debere, ut commoda, grata, amica, utilia, etc., respuat, si offeruntur, donantur, legantur, cum hæc a natura quisque appetat, quærat, et acceptet: « Omnes enim expetimus utilitatem, et ad eam sapimur. » Cicero, lib. III, de *Offic.*, consequenter si nobis offeruntur, tacendo acceptare merito censemur.

5. *Tacens etiam in odiosis consentire videtur, si contradicendo impedire potest.* — Altera pars, quod etiam in præjudicialibus, et odiosis tacens consentire videatur, si contradicendo, vel dissentiendo illa impedire posset juxta Dymum hic. n. 1, infallibilis, consequenter utraque pars vera est, arg. l. 2, § *Voluntatem. ff. Solutio matrimonii.*, ibi: « Nisi evidenter contradicatur, videtur consentire, » et c. 2, de *his, quæ fiunt a prælat.*, ubi ex eo solo capitulum pro consentiente habetur, quia non contradixit: « Si sciente, et non contradicente conventa facta est, robor firmum debet habere, » cum concord. et ratio est; quia, ut bene argumentatur Barb., hic. n. 3, quando quis præsens scit rem fieri, vel peti, et tacet, dum facile contradicere potest, sua taciturnitate facit, quod de jure merito præsumatur idem sentire: ut proin tacitus illius consensus non in fictione, sed præsumptione juris fundetur, nisi adsit contraria conjectura, ex verbis, vel saltem ex nutu, aut aliis signis apparens; quia etiam nutu, vel gestu contraria voluntas ostenditur, l. *Si tamen. 48, § Ei qui, ff. de Edict. edict.*, l. *Non tantum verbis, 5, pr., ff. Ratam rem haberi, cum concord.*

6. *Declaratur exemplis; servus sciente et tacente domino ordinatus liber evadit.* — Declaratur et firmatur amplius exemplis juris. Sic enim imprimis licet servum amittere res domino sit præjudiciosa; si tamen eo sciente, et non contradicente ordinatur, ordinatio valet, servus liber evadit, et dominus illum amittit can. *Si servus sciente, 20, dist. 54*, ibi: « Si servus sciente, et non contradicente domino, in clero fuerit ordinatus, ex hoc ipso, quod constitutus est, liber et ingenuus erit. »

7. *Sponsalia nomine filie scientis et tacentis contracta valent.* — Secundo, si filia sciens,

patrem sibi certam dotem constituere, tacet, et non contradicit, consentire præsumitur, etsi dos forsitan incompetens, sicque ei præjudiciosa sit, cit. l. 2, § *Voluntatem. ff. Solutio matrimonii.*, ibi: « Nisi evidenter contradicatur. »

Sic pariter tertio: si parentes pro filiis, vel filiabus præsentibus et non contradicentibus sponsalia vel matrimonium contrahunt, valent sponsalia et matrimonium, et si forsitan prolihus odiosa; quia non contradixerunt, cum facile potuissent, dicendo v. g. nolo nubere, nolo hunc, vel hanc c. un. § fin. de *Despons. impub.*, in 6, ibi: « Porro ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, ut si præsentibus fuerint, nec contradixerint, obligantur. »

8. *Quarto, qui criminaliter inquisitus crimina sua confessus est, non potest excipere, quod infamia non præcesserit; quia prius non contradicendo tacite consensit, c. 2, de Accusat., in 6.*

Quinto, si tutor a quem pro fidejussore nominat, isque præsens non contradicit, sed nomen suum actis inseri permittit, consensus præsumitur, etsi illi præjudiciosum sit l. 4, § fin., ff. de *Fidejuss. et nominat.*, ibi: « Fidejussores a tutoribus nominati si præsentibus fuerint, et non contradixerint, et nomina sua referri in acta publica passi sunt, æquum est, perinde teneri, atque si jure legitimo stipulato interposita fuisset. »

9. *Alienatio rei ecclesiasticæ sciente et tacente capitulo valet.* — Sexto, rei Ecclesiæ locatio, vel alienatio, ad quam de jure requiritur consensus capituli, si hoc sciente, et non contradicente facta est, valet; quia ex taciturnitate capituli, quod contradicere posset, consensus illius præsumitur, per textum, c. 2, de *his, quæ fiunt a prælat.*

10. *Superiores scientes et tacentes ad defectus subditorum consentire videntur.* — Septimo, superiores qui graves subditorum defectus sciunt, et, cum possent, non contradicunt, non corrigunt, non puniunt, etc., consentire videntur in grave communitatis præjudicium, can. *Error. 3, dist. 83*, ibi: « Error, cui non resistitur, approbatur, et veritas, quæ minime defensatur, opprimitur. Negligere quippe, cum possis deturbare perversos, nil aliud est, quam fovere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare; » juncto can. *Consentire, 5, dist. 83.* « Consentire videtur

erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit, » et can. immediate sequenti, ibi : « Nil illo pastore est miserius, qui luporum laudibus gloriatur : quibus si placere voluerit, atque ab his amari delegerit, erit hinc omnibus magna pernicies. » Hunc ipsi quoque episcopi, qui etiam majores delinquentes non corrigunt, sed tacent, graviter reprehenduntur a sacris canonibus, præsertim can. 2, cit. dist. 83, illis verbis : « Episcopus itaque qui talium crimina non corrigit, magis dicendus est canis impudicus, quam episcopus. »

11. *Tacentes in consilio, vel collegio consentire censentur.* — Huc etiam universaliter referuntur illi, qui in collegio, aut consilio communi tacent, dum aliquid injuste, inique, aut præjudiciose agitur, vel decernitur; habentur enim pro consentientibus, et fiunt cum aliis rei omnium malorum inde secutorum, si, dum possunt, non contradicunt, uti post Abb. in c. 1, *De his, quæ fiunt a major. part. cap.*, bene observat Strein. hic. n. 9, per jura hactenus allegata. Sic plurima in jure reperiuntur exempla, ex quibus manifeste patet, quod etiam in præjudicialibus odiosis, et onerosis causis ac rebus tacens consentire præsumatur, si non contradicit, dum facile potest.

12. *Fallit regula primo, quando tacens rem non intelligit. Errantis nullus est consensus.* — Quæritur II. An, et quas fallentias regula 43 patiatur? Resp. potissimum sequentes : et quidem primo juxta unanimem fallit, quando tacens id, de quo agitur, non intelligit, vel penitus ignorat, arg. l. *Qui vas*, 48, § 3, ff. *de Furtis*. Ratio manifesta est, quia ignorantis vel errantis nullus est consensus, l. *Si per errorem*, 15, ff. *de Jurisdic.*, ibi : « Cum, ut Julianus scribit, non consentiant, qui errant : quid enim tam contrarium est, quam error, qui imperitiam delegit? » cum concordant.

13. *Fallit secundo quando ad substantiam actus requiruntur verba, vel signa externa, uti in baptismo adulatorum.* — Fallit secundo, quando ad formam et substantiam actus consensus verbis vel signis externis expressus de jure requiritur, vel alias præscribitur : prout expresse sancitum habetur de baptismo adulatorum loqui valentium, utpote quorum taciturnitas ad valorem sacramenti non sufficit, etsi alii loco illorum respondeant, arg. can. *Cum pro parvulis*, 77, dist. 4, *De consecrat.*, ibi : « Cum pro parvulis alii respondeant, ut impleatur erga eos celebratio

sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Evangelio dictum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter movet : *Ætatem habet, ipse pro se loquatur.* »

14. *In sponsalibus et matrimonio.* — Sic pariter ad valorem matrimonii, vel sponsalium de jure non sufficit, etsi una pars ad promissionem, vel interrogationem alterius taceat, et non contradicat, licet loco illius alii, etiam propinqui (excepto patre) v. g. frater, patruus, etc., respondeant et consentiant, ipsa tacente, et non contradicente; cum requiratur de jure utriusque partis contrahentis vel mandatum, vel consensus verbis aut aliis signis externis sufficienter expressus, prout jam dictum habetur, lib. IV, tit. I, *de Sponsal. et matrim.*, n. 14 et seqq. Nec obstat, quod in contrarium objicitur, c. 1, *de Matrim. contra interdict. Eccles.*, ubi fit mentio de matrimonio per fratrem pro sorore præsentem et tacente, contracto; quia, ut legenti textum patet, non tantum tacuit, sed expresse consensit soror. Minus obstat objici solitum c. *Ex parte*, 14, *de Restit. spoliat.*, ubi habetur sermo de sponsalibus a patruo nomine neptis contractis; quia ex textu satis patet, sponsalia a patruo acta vel non contracta, vel nulla fuisse; et bene ibidem observat Gloss. *Presente*. Accedit, quod c. un. § fin. *de Desponsat. impub.*, in 6, per textum supra n. 7, jam allegatum de solis parentibus dispositum habeatur, quod, si nomine prolium præsentium, et non contradicentium, vel absentium, et postea rati-habentium, sponsalia contrahant, ea valida existant, consequenter ad alios, etsi propinquos, extendi non debeat; præsertim cum agatur de perpetua obligatione statum hominis concernente, circa quem pro suis liberis parentes etiam ex naturali affectu magis solliciti merito de jure censentur, quam alii, quatumvis propinqui.

15. *Ac in stipulationibus.* — Sic ulterius, quia in jure ad formam et valorem stipulationis regulariter requiruntur verba utriusque stipulantium, l. 1, pr., ff. *de Verb. oblig.*, ibi : « Stipulatio non potest confici, nisi utroque loquente, » etc. Ideo regula fallentiam secundam regulariter patitur in stipulationibus, utpote in quibus tacens et non contradicens pro tacite consentiente minime haberi potest.

16. *Fallit tertio, quando contradictio sine turbatione vel majori malo fieri nequit.* — Fallit tertio in superioribus, qui tacent, et non contradicunt in casu, quo sine magna turbatione, strepitu externo, aut proprio gravi damno contradictio fieri nequit, aut alias res jam desperata apparet : tunc enim tacentes, et non contradicentes consentire nequiquam præsumendi sunt, arg. reg. 50, ff. *de Reg. jur.*, ibi : « Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest. » Strein hic. n. 2, et fin. cum aliis a se allegatis, arg. c. *Nihil*, 2, *de Præscript.*, ubi Papa Italiae patritiæ rescribit : « Nihil cum scandalo, nihil cum forali strepitu vobiscum nos velle de causis pauperum definire, vobis scripsisse meminimus; sed illud vos scire credimus, taciturnitatem, atque patientiam nostram futuris post me pontificibus in rebus pauperum præjudicium non facturam. » Quæ fallentia etiam ad alios non superiores a doctoribus ob paritatem rationis merito extenditur, et inducitur, minime blandiri sibi posse principes de tacentium et non contradicentium subditorum consensu, quando illos collectis stauris et tributis excessive ac injuste gravant : quod idem dic de inferioribus dominis directis subditos nimium gravantibus; quia miselli subditi in hujusmodi casibus tacentes non tam voluntarie consentire, quam metu majoris mali coacte dare censendi sunt.

17. *Fallit quarto, quando fur sciente, et tacente domino rem aufert.* — Fallit quarto in casu, quo fur sciente, et non contradicente domino rem illius surripit; qua in tali casu dominus consentire non præsumitur, sed actionem contra furem instituere potest : cum sic in odium furti jura specialiter statuunt, l. *Si quis*, 91, ff. *de Furtis*, ibi : « Si quis scit, sibi rapi, et quia non potest prohibere, quievit, furti agere potest : at si potuit prohibere, et non prohibuit, nihilominus furti agat. »

18. *Fallit quinto, quando de consensu vel dissensu non dubitatur.* — Fallit quinto, et quidem universaliter, quotiescunque de consensu vel dissensu tacentis, et non contradicentis verum non extat dubium, sed ex circumstantiis et conjecturis verisimilius apparet, eum tacendo consentire noluisse. Barbos., hic, cum aliis, ad longum deducens, regulam, « Tacens consentire videtur, » tantum locum habere in dubio, in quo de jure præsumitur consentire, qui tacet, et non

contradicit, cum facile posset, prout desumitur ex verbo *videtur*; hinc si circumstantiæ, et conjecturæ tollunt dubium, et verisimilius pro dissensu militant, præsumi consensus prudenter non amplius potest : ideo in sensu regulæ n. 4, posito notanter additum est : « et contrarium ex conjecturis non apparet. »

REGULA XLIV.

IS, QUI TACET, NON FATETUR, SED NEC UTIQUE NEGARE VIDETUR.

1. *Regula unde?* — Desumitur hæc regula ex l. *Qui tacet*, 142, ff. *de Reg. jur.*, ibi : « Qui tacet, non utique fatetur : sed tamen verum est, eum non negare. »

2. *Differt a priori; quia præsens de confessione, vel negatione : prior de consensu agit.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Hanc regulam minime convenire cum præcedenti ut perperam putabant nonnulli, sed multum differre ab ea : cum in priori agatur de consensu, an, et quando ex taciturnitate præsumi possit : præsens vero regula de confessione, et negatione, et non nisi in casu interrogationis procedit, utrum videlicet confiteri, vel negare censeatur, qui ab alio interrogatus nihil respondet, sed tacet.

3. *Ponitur versus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus sensus regulæ sequens est : « Qui ad interrogationem alterius tacet, regulariter nec confiteri, nec negare præsumitur. » Ratio est, quia inter negare et confiteri tanquam duo membra datur medium, silere nempe et tacere, uti cum Glossa observant Dynus et Vivianus hic : et merito, eo quod, licet in immediate sibi contrariis exclusio unius sit inclusio alterius, et e contra, ac unum necessario inesse debeat, uti fit in sanitate, et infirmitate, numero pari, et impari, cum unum alterum necessario excludat, corpus siquidem aut sanum, aut infirmum esse debet, et tempore, quo sanum est, infirmum esse nequit, ac e contra : numerus par, aut impar esse debet : si par est, impar esse non potest, et e converso : aliter tamen res se habeat in extremis habentibus medium; cum nullum necessario insit, sed tertium mediare, ac subsistere valeat, prout contingit in colore albo et nigro, quorum nullus necessario inest, cum res tertium aliquem colorem, flavum aut rubrum habere queat. Hinc similiter, quia inter confiteri et

negare mediat silere, et tacere, ac se ipso stare potest, quin insit confiteri, aut negare; justus est regulæ sensus: qui ad interrogationem alterius tacet, nec fatetur, nec negat.

4. *Tacens interrogatus a non iudice nec fatetur, nec negat.* — Declaratur exemplis: sic v. g. in casu, quo quis extra iudicium, vel etiam in iudicio a non iudice interrogatur, an non hunc vel illum percusserit: an non hoc vel illud abstulerit: hunc vel illum verbali injuria affecerit: an non mutuas pecunias mille florenorum a se acceperit, sicque debeat: si tacet, nec fateri, nec negare censetur, arg. l. *Si filius*, 19, ff. *de Interrog. in jure faciend.* et ratio præter jam dictam est; quia respondere non tenetur. Et profecto misera foret hominum conditio, si quis cuivis interroganti affirmando, vel negando positive respondere teneretur; cum sæpissime intersit tacere, et nihil respondere, sicque medium inter negationem et confessionem tenere.

5. *Quare tacens censeatur consentire, et non fateri?* — Cur autem tacens præsumatur consentire, et non confiteri, in ratione alleganda divisi sunt doctores: melior videtur, quam assignat Barb. hic. n. 9, videlicet, quia consensus est actus voluntatis eligentis et quiescentis, qui actus adesse merito præsumitur, dum quis contradicere facile posset, et non facit per dicta in præcedenti regula: confessio vero consistit in assertione veri aut falsi, quorum nullum asserit, qui tacet.

6. *Legitime interrogatus a iudice tacens habetur pro confessio.* — Quæritur II. An et quas fallentias patiatur regula præsens? Resp. eam fallere primo universaliter, quoties quis in iudicio a iudice legitime interrogatur: sic enim interrogatus, qui tacet, pro confessio habetur, vel etiam in sui damnum pro negante, l. *de Ætate*, 11, § 4, *de Interrog. in jure faciend.* ibi: « Qui tacuit apud prætorem, in ea causa est, ut instituta actione in solidum conveniatur, quasi negavit, se hæredem esse. » Ratio est, tum quia hoc ipso, quod legitime interrogatus, et respondere obligatus taceat, justam præsumendi causam præbet, veritatem contra se stare, seque eam tacite fateri velle: tum quia a iudice legitime interrogatus, respondere omittens contumax reputatur, ac propterea in pœnam contra se confessus in effectu habetur, cit. l. *De ætate*, 11, § 4, ibi: « Nam qui omnino non respondet, contumax est: contumacia

antem pœnam hanc ferre debet, ut in solidum conveniatur, et quia prætorem contemnere videtur. »

7. *Sicut et ille, qui ad articulos non respondet.* — Fallit secundo in quovis illo, qui in iudicio ad positiones, seu articulos ab adversario propositos, et a iudice approbatos respondere jussus tacet, vel sine causa respondere recusat; quia etiam talis confiteri censetur, et pro confessio habetur, c. 2, *de Confess.*, in 6, ibi: « Si reus, vel procurator ipsius positionibus ab adversario sibi factis interrogatus, jussusque a iudice respondere absque rationabili causa recuset, aut nolit, seu contumaciter se absentet, haberi debet super iis, de quibus in eisdem positionibus interrogatus extitit, pro confessio. » Ratio est, quæ in priori fallentia.

8. *Qui duobus sibi propositis ad unum respondet, et ad alterum tacet, hoc fateri censetur.* — Fallit tertio, quando alicui in iudicio obijciuntur duo, et is unum negat, vel in eo se excusat, ad alterum vero tacet, censetur enim hoc tacite fateri, c. *Nonne*, 5, *de Præsumpt.*, ibi summarium sic habet: « Qui ex duobus illatis alterum negavit, reliquum affirmare præsumitur; » textus vero sic sonat: « Duobus quippe illata fuerunt ei: unum negavit, alterum tacendo concessit. »

REGULA XLV.

INSPICIMUS IN OBSCURIS, QUOD EST VERISIMILIUS, VEL QUOD PLERUMQUE FIERI CONSUEVIT.

1. *Regula unde?* — Desumpta habetur hæc regula ex l. *In obscuris*, 114, ff. *de Reg. jur.*, ibi: « In obscuris inspicitur, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet. »

2. *Obscurum, verisimilius, et plerumque, quid?* — Quæritur. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Quid per verba, *In obscuris*, dicere velit regula, satis patet ex dictis ad regulam 30. « In obscuris minimum est sequendum, » n. 2 et 3, ubi videndum. Per *verisimilius* autem intelligitur id, quod prudenter consideratis considerandis, circumstantiis, et aliis ad genuinam veritatem servientibus, veritati magis consentaneum apparet. Per *plerumque* vero id denotatur, quod in ejusmodi, de quibus quæritur, actibus, negotiis, contractibus, dispositionibus communiter et ordinarie fieri solet, ac in regione fieri consuevit. Hinc

3. *Ponitur versus sensus regulæ. Verisimilitudo pro veritate habetur.* — Resp. II.

Verus regulæ sensus hic est: « Quæcumque vera intentio, mens et voluntas statuentis, agentis, contrahentis, disponentis, etc., aliunde certo vel sufficienter non apparet, illud sequendum, judicandum, et tenendum est, quod prudenter, et æquo animo consideratis considerandis ad cognoscendam veritatem servientibus circumstantiis, veritati magis consentaneum, seu conforme apparet: » vel « quod in hujusmodi, de quibus quæritur, actibus, negotiis, aut dispositionibus communiter et ordinarie fieri solet, ac in Regione fieri consuevit. » arg. l. *Semper in stipulationibus*, 34, ff. *de Reg. jur.* cujus textum allegavimus in regula 30, n. 3, cum concordant. Ratio regulæ quoad primam partem, de sequendo verisimili, est quia verisimilia quasi pro veritate habentur. Arg. l. *Cum quid*, 3, ff. *de Rebus creditis, si certum petatur*, adeo ut idem reputetur, veritatem pro se habere, et præsumptionem in verisimili fundatam pro se habere, uti post Jason bene advertit Strein hic, n. 2, arg. l. *Licet imperator*, 74, ff. *de Legat. I.* et verisimilitudo onus probandi nonnunquam in adversarium rejiciat arg. l. *Sive possidetis*, 16, C. *de Probation.*, ac non nisi validioribus probationibus elidi valeat, l. *Non est verisimile*, fin. ff. *Quod metus caus.*

4. *De ordinarie contingentibus fiunt leges.* — Secundæ vero partis, videlicet, quod deficienter verisimili id attendatur, quod plerumque seu communiter et ordinarie fieri solet, ratio hæc est; quia sicut legislatores non de iis, quæ raro, sed quæ frequenter contingunt, leges et jura condunt. l. *Ex his*, 4, et l. *Nam ad ea*, 5, ff. *de Legib.* ibi: « Nam ad ea potius debet aptari jus, quæ et frequenter et facile, quam quæ perraro eveniunt. » Sic etiam intentio et mens privatim disponentium et contrahentium in defectu alterius certitudinis juxta communiter et ordinarie fieri solita præsumi, et colligi debet. Arg. l. *Certi conditio*, 9, § 8, ff. *de Reb. credit.* præsertim in regione, in qua versamur, l. *Semper*, 34, ff. *de Reg. jur.* ibi: « Si non apparet, quid actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. »

5. *Ordo procedendi in obscuris.* — Ut proin circa obscura sequens procedendi, præsumendi et sequendi ordo sit: et quidem primo videndum, an non aliunde rei veritas, et quod actum est, appareat: hoc enim vere

cognitum omnino sequi, et tenere oportet; quia justum et æquum est, ut contrahentium voluntates et pacta custodiantur c. 1, *de Pactis* ibi: « Aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus (si se non cohibuerit) ecclesiasticam sentiat disciplinam. Dixerunt universi: Pax servetur, pacta custodiantur, » et l. *Semper*, 34, ff. *de Reg. jur.* ibi: « Semper in stipulationibus, et in cæteris contractibus id sequimur, quod actum est. » Secundo, si de hoc certo vel sufficienter non constat, id præsumendum, sequendum, et tenendum, quod prudenter consideratis considerandis verisimilius apparet juxta tenorem hujus regulæ. Tertio, si verisimilius non apparet, id inspiciendum, et sequendum est, quod plerumque, seu communiter, et ordinarie fieri solet, juxta præscriptum præsentis regulæ, præsertim in regione, in qua res acta est, cit. l. *Semper*, per textum n. præced. jam allegatum. Quarto, si neque hoc haberi potest, minimum sequendum, et tenendum est cit. l. *Semper* ibi: « Quid ergo, si neque regionis mos appareat, quia varius fuit? Ad id, quod minimum est, redigenda summa est, » et regula 30, *de Reg. jur.* in 6, ibi: « In obscuris minimum est sequendum, » cum in hoc partes certo conveniant, et errandi periculum magis declinetur juxta dicta superius ad hanc regulam, n. 4.

6. *Declaratur regula exemplis juris.* — Declaratur etiam et firmatur ulterius regula, sensusque illius exemplis juris: Sic enim primo, ut exemplificat Gloss. hic, si maritus cum prius corrupta diu cohabitavit, et postea mulier ex causa impotentiae viri divortium petat, vir autem potentem se asserat, viro creditur, nisi impotentia manifesta sit, textu claro can. *Si quis*, 3, cau. 33, q. 1. Quia verisimilius est, virum non defuisse suo officio.

7. *Substitutio facta filio evanescit, si hic liberos procreat.* — Sic pariter secundo, si quis proprium filium instituit hæredem, eique substituit Carum, præsumitur substitutio facta sub conditione: si filius meus sine liberis decesserit, l. *Cum avus*, 102, ff. *de Condit. et demonstr.* Cum nec verisimile, nec usu receptum sit, quod quis intendat filio aliquem substituere, si filius ipse liberos progenerat, l. *Generaliter*, 6, §. *Cum autem*, C. *de Instit. et substit.* ibi: « Cum autem invenimus excelsi ingenii Papinianum in hujusmodi casu, in quo pater filiis suis substituitur, »